

R A T I O
IN FVNERE PHILIPPI II.
HISPAÑIARVM ET INDIARVM REGIS
INVICT. QVI AB HAC VITA MIGRAVIT
Die decima, tertia mensis Septembris 1598.
Die Dominico exantelucano tempore.

Per Emmanuelem Constantinum Lusitanum Sacra Theologie Doctorem
etiam Sacri Collegij Clericum, & in Alma Vrbis
Gymnasio publicum professorem.



O M A E,
Agnd Aleijanum Zannetutin, M. D. I.C.

SUPERIORVM PERMISSV.

O R A T I O
IN FVNERE PHILIPPI II.
HISPAÑIARVM ET INDIARVM REGIS
INVICT. QVI AB HAC VITA MIGRAVIT
Die decima tertia mensis Septembri 1598.
Die Dominico exantelucano tempore.

Per Emanuelem Constantimum Lusitanum Sacra Theologiae Doctorem
olim Sacri Collegij Clericum, & in Alma Virbis
Gymnasio publicum professorem.



R O M A E,
Apud Aloysium Zannetutin, M. D. I.C.

SUPERIORVM PERMISSV.



PHILIPPO III. HISPANIARVM ET INDIARVM REGI INVICTISSIMO

Emanuel Constantinus eius seruus S. P. D.



ACHRIMAS meas, quas in funere Phili-
ippi II. Regis nostri Invictissimi toto ex cor-
de mestissimus profudi Maiestati tuæ offe-
ro. Quanto enim merore vniuersus orbis,
propter eius e vita discessum affectus fue-
rit, & quali morte tam sancta, tamq;
integra vita fuerit conclusa optime, qui aderas, nosti. Equi-
dem cum de meis scriptis non magnopere laborare soleam, tamen
hanc funebrem orationem, & celebrari nunc, & ad poste-
ros peruenire vehementer cupio, ut exstet aliquod testimo-
nium iudicij, de tali atq; tanto Principe, & de tam singu-
laribus, & inauditis virtutibus, mei. In quo, ne forte quis

eorum, qui me non norunt, (nam de ijs quibus notus sum nihil tale metuo) absentia, & consuetudini datum esse ali-
quid suspicetur, hoc affirmare ex animo possum, nihil a me
unquam verius magisq; ex animi sententia scriptum, quam
ea, que in hac oratione scripsi. A Maiestate tua Peti & de
me amet, quo me misericordie officiae charorem. Vale Rons.
Kalendis Martij 1.899.

ORATIO
IN FUNERE PHILIPPI II.
HISpaniarum et Indiarum Regis



I eorum quæ oratione explicantur amplitudo,
& Maiestas, non aliunde quam ex eius, qui de
illis differit, ingenio, & oratione penderetur;
vehementer mihi hodierna die pertimescen-
dum esset, ne tot tantarumq; laudum dignitas,
ingenij mei tenuitate, & orationis inopia im-
minueretur. Dicturus enim ex veteri consuetu-
dine de Philippi Regis nostri Inuictissimi laudibus in hoc Augustis-
simi nobilissimoq; cōfessu, maximopere cōmoue rer atq; conturba-
ter animo, tum ob virium mearum, imbecillitatem, tum ob breuita-
tem temporis, mihi ad tam héroicas actiones pertractandas datit
Slexistimarem, aut ullam in quoquam vim dicendi meritis tanti
Principis parem posse reperiri; aut ullam longitudinem temporis
suffecturam ei, qui tam copiosi atq; multiplicis argumenti partes
omnes pertractare, atq; persequi vellit. Atq; quoniam inaugura-
tur animus illum iam in æternas illas beatorum sedes euectum, &
cum Deo coniunctum, quæ hoc tempore a nobis dicuntur, quæq; siūt,
& audire & intueri. Eudem in hoc munere obeundo modum tene-
bo, quem tenerem, si ipse mortali adhuc corpore indutus præfens
adesset: vt & eo orationis genere utar, quo ipsum oblectari solitum
nouimus, non fucis aut Pigmentis oblito, sed seuero & solido &
ea sola in ipso commendem, quæ sola ipse in rebus humanis com-
mendanda ducebat. Qui Ethnicoru[m] more vixerunt, Ethnicoru[m]
more laudentur. Ego, o Philippe Rex Inuictissime, tibi tam Sancto,
tam Catholico, tam Christiano Principi nullam laudem conue-
nire arbitror nisi vere atq; propriè Christianam. Si autem me subli-
mia humiliiter, ampla tenuiter, illustria inornata tractantem, & ex
ianumerabilibus, quæ ad dicendum sufficiunt plurima, prætermis-
ten-

tentem pauca proponentem audietis : cogitetis in animis vestris non posse quemquam in tam vberem , atq; copiosa materia omnia persequi , nec ea, quæ per se satis splendida sunt, ornatu verborum indigere , & me rerm copia inopem consilij reddit . Quod si in me vlla vis aut facultas esset, optarem equidem aliquam mibi non tam vberem, atq; copiosam addicendum materiam dari , vt in singulis eius partibus , accurate percensendis , copiose exornandis , artificiose exaggerandis iactare , & ostentare me possem . Nunc enim vt pictor, cui in exigua tabella ingens aliqua hominum multitudo exprimenda est , nonnulorum vultus tantum atq; ora multorum summa modo capita ostendit, totum reliquum corpus abscondit . Ita me innumerabilia Philippi Regis nostri æternis dignissima laudibus facta, in angustum vnius breuissimæ orationis curriculu cōcludēda sunt. Multa quæ, si pandi explicariq; possent quasiq; spectāda proponi, incredibilē admirationē excitarēt sui, deliberare modo, & attingere, multa ēt significare potius quā ostēdere necesse est.

Itaq; in quibus exaggerandis , & amplificandis, veteres plurimi erant , & a quibus huius generis orationum principia ducebant; Patriæ claritatem, quam etiam quidam ex illis partem felicitatis esse dixerunt . Austriacæ familiae nobilitatem, opes, copias, potentiam, amplissima Regna, longe lateq; dilatata , & propagata Imperia , eā nos , eti vere atq; copiose id facere possemus, omittenda duximus . Iam quasi thesaurum quemdam rerum pulcherrimarum, atq; Præciosissimarum aperiens spectandumq; proponens, euoluam , & explicabo vera illa , & diuina bona, quæ semper Philippum Regem nostrum bonis amabilem , improbris formidabilem, virisq; admirabilem reddiderunt . Quis incredibilem morum Sanctitatem? Quis maximum erga Deum amorem , & obseruantiam? Quis inauditam erga pauperes charitatem, quæ, vt ait Apostolus, perfectionis vinculum est? Quis modestiam , quam in omnibus rum factis, rum dictis retinuit, Quis magnanimitatem, qua nihil humile, nihil angustum, nihil vulgare cogitauit . Quis in colendo Deum pietatem sine simulatione? Quis in regeudis hominibus severitatem sine superbia ? Quis in administrandis negotijs , & siue festinatione diligentia , & sine tarditate grauitatem? Quis prudentiam cum animi

animi excelsitate coniunctam, quam nihil fallere? Quis fidem & constantiam, quam nihil imminuere aut labefactare potuit? Quis veritatem, quæ virtutum omnium custos est, quam mirifice coluit; & dilexit, enumerando recentebit? Propre superuacaneum videri potest , cum de tam Catholico Principe verba faciam , quanta illius erga sedem Apostolicam obedientia fuerit, dicere . Quo enim quisquam Christum ipsum Sanctius , & Religiosus colit, eo studiosus , & magis ex animo Vicarium ipsum colat necesse est. Quomodo ille de omnibus Pontificibus sui temporis recte sentiebat? Quomodo de Pio V. cuius memoria in benedictione est , & sentiebat, & loquebatur? Quem sibi non hominem, sed Angelum quendam humana inter mortales specie versantem videti dicebat ; cuius monitus, & aliorum Pontificum, de quibus idem sentiebat, tamquam cælestia quædam oracula reuerebatur , Nam de Clemente 8. & re & nomine Pontifice Op. Max. in quo summa plane omnia atq; propre diuina sunt ; qui clavum in Ecclesiæ naui tenet , cuius a natu pendent leges , cuius ad pedes Reges ipsi suppliciter se abiiciunt, cuius arbitrio panditur Cælum , qui deniq; supra omne humanae dignitatis fastigium euectus, Dei personam inter homines sustinet, quot quantaq; in omni sermone prædicare solitus esset ; dicerem. Si quā facile præstat Sanct. Pontifex, vt ab omnibus uno ore laudetur; ita libeuter eos a quibus laudatur audiret . Quantū enim prudentiæ, & acuminis Philippo Regi nostro fuerit ad videndū ea quæ vera & recta essent; quantum animi & libertatis ad eadem proferenda omnibus exploraturum est. Nunquam in dicenda sententia cuiusquam gratiæ dedit . Nunquam ad cuiusquam voluntatem orationem suam accommodauit . Nunquam quidquam veritate, aut prius, aut antiquius habuit . Quod si quidam ex veteribus Romanis eo nomine felix habitus est ; quod ab eo nemo rem improbam petere auderet , quod hunc Principem dicemus? quem omnes quidquid petituri erant , in quo vel minimum turpitudinis inesset tamquam scopulum quemdam refugiebant . In rebus prosperis & ad eius voluntatem fluentibus superbiam omnino atq; arrogatiā deuitauit, idq; a luuentute, nuntiata enim sibi magna quadam & admirabili exercitus sui victoria nullum penitus superbientis, & elati

elati animi signum dedit; & semper spectata moderatione fuit; & omnia in solam Dei voluntatem referebat. In aduersis vero, quæ mortalibus omnibus contingere necesse est, quibus non semper omnia ex animi sententia fluunt, maxima fuit animi magnitudine, nunquam a sua dignitate dicesit, nunquam animum certo de statu dimovit, nullam iracundiam aut doloris vocem emisit. Dicebat agnoscerē se in eis rerum humanarum imbecillitatem, atq; vicissitudinem, atq; Dei vnius esse omnia mente complecti, omnia circumspicere, nunquam falli, semper vincere; in omnibus deniq; rebus eundem vultum, eamdem frontem tenuit, quod in uno Socrate, Græci, in uno Caio Lælio Romani laudauere.

Iam vero clementia, liberalitate, Philippum Regem nostrum excelluisse, & res ipsa loquitur, & vniuersa ipsius Regna idem uno ore testantur. cui rei argumento est, & innumerabilium priuatorum inopia subleuata, & infinita illa vis pecuniarum, qua propè omnibus Christiani Orbis partibus aliqua difficultate pressis aut laborantibus sine villa cunctatione subuenit, omnibus bonis suis etiā paternis ad hunc solū effectū pignori datis. Prætereo tot tēpla suis proprijs impendijs ædificata, inter quæ eminet Sancti Laurentij Martyris templum, cum amplissimo, & ditissimo Cænobio Fratrum ordinis Sancti Hieronymi, opus vere Regium, & tanto Princeps dignum. Templum autem hoc in honorem Sancti Laurcntij Martyris tantus Princeps ab imis fundamentis ædificari curauerat; vt Praeclarissimam victoriam ex Vrbe Sancti Quintinij in Gallia, die decima Augusti, Festo eiusdem Sancti, reportatam, & Deo Op. Max. & eidem Martyri Laurentio acceptam referret. prætereo tot thesauros in sinu pauperum reconditos. Tanto enim optimus Princeps charitatis amore flagrabat, vt singulis diebus (quibuslibet ordinarijs eleemosinis demptis) pauperum inopiae subueniret. Omnibus enim, qui egestate premebātur, tā alacri, atq; libentissimo animo prouidebat, vt hacyna re nihil sibi invita aliquid aut gratius aut suauius aut iucundius accidere posse videretur. Hanc veritatē hoc exemplo comprobabo. cum valida fames germaniā inferiorē (quam alij Belgium vocant) premeret de anno 1557. Philippus Rex noster (cum ibi moraretur) paternæ charitatis æmulus ex longuis

longuis totius orbis partibus maximam frumenti copiam in multorum vsum exportandam curauit; ipsum autem toto famis tempore, suis proprijs impendijs supra 30. pauperum millia aliisque prohibent. O Regem rari & singularis exempli, o ardorem charitatis commemorabilem; o pietatem omnibus faculis prædicandam. Prætereo maximam atq; inauditam clementiam, qua Philippus Rex noster in omnibus malis, atq; difficultatibus in Aragonia proxime gestis semper vsus est; vnanimi enim consensu ab vniuerso eius consilio, vt atroci & tremendo & hucusq; nec viso nec audito supplitio, vt alij exemplum fumerent, atq; in alieno capite periculum facerent; in eos, qui de liquerant, animaduerteretur, statutum & decretum foret. Clementissimus Princeps ab eorum sententia longe lateq; dissidens, & effrenata mente dissentiens omnes illos sibi filios charissimos esse respicndit; & si deliquerant aliqua leuissima pæna puniendos fore. O Rem nouam & insolitam, o facinus pulchrum, & insigne, de quo quoties cogito toties animus admiratione defixus obstupescit. Vtinam adessent in hoc templo omnes gentes & nationes. Vtinam me tam præclarum factum memorantem audiret vniuersus orbis. Prodeant in medium omnes Græci, Romani, & nostri Imperatores, vt Darius, Augustus, Vespasianus, Titus, Iustinianus, Claudio secundus, Flavius Julianus & alij, quos veteres clementissimos fuisse recenserent. Nonne illorum aliquem quiduis simile aut fecisse aut dixisse est in monumenta relatū? Dies me deficiet, si omnia clementiae & liberalitatis eius facta memorare instituam. Quare, Rex Inuictissime, omnium bonorum præconio celebraberis, immortali gloria circumflues, omnis posteritas te intuebitur, & de tuis laudibus nulla nunquam ætas conticescet. Quid de iustitia dicam? quam omnibus rectam & æqualem faciebat; in cuius studium omnes labores & vigilias, omnes Regias curas & cogitationes, omnia deniq; studia consumenda ducebat. Iuditiorum seueritatem, quam improbissimus quisq;, aut eludere aut perrumpere solebat, renouauit. Cumq; aliquando acrioribus remedijis egere Regna sua iudicaret, propositis acerbioribus supplicijs hominum libidinem audaciamq; strahauit. Fateamur ergo, id quod resistet, zelum illum ab eximio

quodam iustitiae studio profectum in Regnis suis necessarium, atq; salutarem fuisse. Nullum sacrificium Deo acceptius, quam iustitiae munus, nullam gentem, nullam ciuitatem, nullum hominum cætum, nullam postremò domum sine iustitia saluam posse consistere arbitrabatur. Hac tuebatur innocentiam, coercedat improbitatem, dabat salutem, propulsabat pericula, bonis omnibus conseruabat & amplificabat Rempublicam. Populorum vulnera sanabat; motus omnes comprimebat, pacem & otium cum dignitate constituebat; vires Reipublicæ firmabat, opes & Imperium augebat; Dei numen pie atq; sancte moderabatur. Iustitia cælum, terræ deuinicit, infima summis amore coniungit, omnes mundi partes fædere connectit, iustitiae deniq; vi & ratione fit; vt ex tam diuersis formis vna tantum lege, atq; vinculo colligatis, & inter se mirifice cōcinentibus, hic tantus & tam admirabilis totius mundi ortus existat, ex quo tam multæ vtilitates oriuntur. Quid igitur esse poterit vel ad fructum melius, vel ad decus & gloriam magniscentius, quam in terris rationem, & ordinem, quo summus ille rerū omniū moderator, & conditor Deus cælī regit, & temperat, imitari. Omnes enim, qui cum iustitia vixerint, opus est, vt Deo egregie chari sint, opibusq; diuinis augeantur, sunt enim Deo similes. Hæc & alia complura optimus Princeps sæpiissime dicebat, & commendabat. Nunquam ex ore suo verbum vnum prodijt, quod non aut ad Dei laudem, aut ad eorum, qui aderant, emendationem pertineret: sic quamquam in terra positus versabatur in cælo; & cum hic nobiscum viueret, erat tamen ciuis sanctorum, & domesticus Dei. Tanta deniq; erat in Philippo Rege nostro, iustitiae & prudentiae præstantia; vt quidam Hispaniæ proceres ipsi intima familiaritate coiuncti, sæpiissime eum admirati sunt; atq; sui temporis miraculum esse confitebantur. Equidem quo longius in altum inuehor, eo se mihi amplior & patientior orationis quasi cursus aperitur; & ostenditur, et si omnia persequi vellem nullum vñquam finem nostra inueniet oratio.

Missam facio Melitam Insulam summa rerum difficultate labante, tot tantisq; Philippi Regis nostri impendijs ex vnguibus immanissimi illius Tyranni Turcarum Imperatoris Solimanifuis-

scili-

se liberatam. Eo tempore, quo terra mariq; a tetrico Christiani nominis hoste obsidione premeretur. Suopte enim ingenio ferrox Solimanus & tum maxime propter recentes victorias, spe, atq; animo inflatus, rants sibi spiritus, tantā arrogantiam sumpferat; vt omnes Hospitalēses milites cū Valetano eorū magno Magistro, vt in Rhodiensi Insula factū fuerat, & simul omnes Insulanos Melitenses inde facile exterminandos fore, & ipsam Melitam, Insulam a se spiritu disflatam iri; ea vero disiecta quasi, ianua quadam effracta, atq; reuulsa, omnes Christianorum portus, omnes Insulas, omnem oram maritimam, omnem Italianam, omnem deniq; Christianam Rempublicam sibi apertam fore arbitrabatur. Augebat timorem nostrum, quod Deus alienatæ a nobis propter peccata nostra voluntatis suæ significationem dederat. Vt non iniuria trepidaremus, ne ille merito nobis iratus, per hostes nominis sui a populo suo pœnas repetere decreuisset. Sed o cæca hominum iuditia, o fallaces hominum spes, o bonitatem & clementiam ipsius perpetuo prædicandam. Vere dominus est, qui vulnerat, & medetur, percutit & manus eius sanabunt, qui mortificat, & viuiscitat, qui deducit ad inferos & reducit, pro paterna sua misericordia castigans castigauit nos, sed morti non tradidit nos. Resperxit ad lachrimas, ad ieiunia, ad eleemosinas, ad preces Ecclesiæ suæ, ad quæ omnia optimus Pontifex Pius IV. & Philipus Rex noster toto illo tempore alios omnes, & præcepto & exemplo invitabat. En, Rex Inuictissime, & Caroli v. Patris tui, & maiorum tuorum similimme, scelerum vltor, iustitiae cultor, vetetis Ecclesiastice disciplinae in Regnis tuis restitutor. Cui bono publico hisce miseris, atq; turbulentis temporibus tot Regna tibi gubernanda commisit Deus: hic est fructus lachrimarum, atq; obsecrationum tuarum, tui fletus pepererunt nobis hoc gaudium, tuæ quotidianæ orationes talem a Deo nobis victoriam impetrarunt. Tu mentem in Deo, nostri milites in barbarorum corporibus tela figebant, confirmabant illorum dextras preces tuæ, & hostilium gladiorum uspidem retundebant. Ab vuiuera Republica Christiana tibi maximè habenda sunt gratiæ ob tale beneficium, & alia prope infinita, quæ sciens prudensq; pretero, ne nostra hæc

B 2

oratio

oratio in infinitum excrescat . Quis est nostrum qui ignoret a Philippo Rege nostro , in Indijs Occidentalibus Insulas Philippinas appellatas , hac vna solum de causa fuisse retentas incredibilibus , & proprie infinitis ipsius impendijs , vt in eis Christiana , & Catholicæ Religio longe lateq; propagaretur . Cumq; omnes Regni sui proceres , vt tamquam inutiles desererentur , in consilio decreuissent , hoc enim optimo Principi , quoad poterant , cum persuadere conarentur , ipse per maiorum suorum vestigia incedens , qui meminerat eis se maioribus editum , qui , vt hærefes Catholicæ fidei inimicas extirparent , vt Christiani nominis fines quam longissime propagarent , vt Apostolicæ sedis auctoritatem sanctam atq; inuiolatam præstarent , nullam vnquam difficultatem pertimesceudam ; nullum periculum detrectandum ; nullam deniq; dimicationem refugiendam putaruut ; tali Principe dignum responsum dedit , sibi satis esse , in eis Religionem veram , & Catholicam propagari , nec opes vsquam melius , aut rectius : quam in Dei cultu dilatando , & propagando , collocari . Perlustretur omnis antiquitas ; excutiantur omnes veterum bibliothecæ ; repetamus & replicemus omnium veterum historiarum monumentorumq; memoriam , vetera & externa exempla conquiramus , quis Princeps talia dixit ? Aenea quidem & marmorea monumenta conficere , atq; consumere , longinquitas temporis poterit , at Philippi Regis nostris laudes , & gloriam , nulla vnquam delebit vetustas , nulla inoscurabit obliuio .

Cum autē in hoc Principe quāplurima admiranda fuerint , tum singulare quoddā studiū conseruandæ , & propugnādæ veræ , & Catholicæ Religionis , & aduersus eos , qui illam labefactare conarentur , implacabile odium semper eluxit . Quibus cum ille perpetuum bellum gerens ; ne pūnctum quidem temporis in vita ab eis vexandis , & exagitandis conquieuit ; qui quot annos regnauit totidem continenter pro fidei defensione pugnauit : vnde merito Sanctissimus D. N. Clemens viij. & re & nomine Pontifex Op. Max. in consistorio secreto Ferrariae habito , die nona mensis Octobris anni elapsi coram Illustriss. & Reuerendiss. S. R. E. Cardinalibus constantissime , & verissime affirmauit Philippi Regis nostri vitam

vitam bellum fuisse assiduum contra Religionis nostræ hostes ; & si demamus eos ; qui Deo iu cælo perfruuntur , neminem viuentem hac vna in re cum illo posse comparari . In alijs erratis condonandis , atq; ignoscendis non ita se durum aut inexorabilem præbebat , qui ab Ecclesia desciuissent , nisi aut ipsos erroribus , aut ipsis Regna sua purgaret , vitam sibi acerbam , atq; insuauem esse ducebatur . Exedebat eum zelus Ecclesiæ , nec quisquam vnquam verius idem , quod olim Dauid , dicere potuit , non ne qui oderunt te Domine oderam , & super inimicos tuos tabescbam , perfecto odio oderam illos . In expugnatione Vrbis Sancti Quintini in Gallia voce præconis in vniuerso exercitu edixit , ne sacra milites profanarent , nec in reliquias Martyris Sancti Quintini , quæ illic maximo cum honore affluabantur , aliquid committerent , Sacerdotes iniurijs ne afficerent , parcerent pueris , fæminis , & senibus , Virgines Sacras ne læderent . Diripiebatur vrbs ea tempestate opulentissima , effusi per vias milites . Vndiq; gladiorum fulgor perstringebat oculos , vndiq; armorum sonus , vndiq; cadentium tectorum fragor audiebatur , puerorum eiulatibus , mulierum lamentis , morientium gemitibus , militum clamoribus , priuata publicaq; omnia circumsonabant : ipsa vrbs pâne dimota , & diuulsa sedibus suis suorum ciuium in cæde , atq; sanguine natabat . cum Philippi Regis nostri vere Catholicæ mens solum res sacras , & reliqua Deo dicata , toto ex corde propugnabat . Reuocauit veterem Ecclesiasticam disciplinam , quæ ita in Regnis suis obsoleuerat , vt vix eius imaginem in veterum scriptis agnosceremus .

Quis enim Philippi Regis nostri vitam se vnquam satis præ dignitate laudare posse confidat : qui cum totam propre ætatem in oppugnandis Christi , & Catholicæ fidei aduersarijs consumpsisset , & eius rei cauila , in Europa , Africa , Asia , inuictum exercitum duxisset , multa prælia commisisset , multas victorias reportasset . Tandem aduersus mortem dimicans , ea penitus deuicta , & prostrata ad superos , vt piè creditur euolauit . Quid referam ex Regno Granatæ illos sceleratissimos , illos inquam Catholicæ Religionis nostræ immanissimos hostes ab eo fuisse expulsos , & tanta cum ipsius laude illud opulentissimum Regnum ab immanibus illis belluis fuisse

fuisse liberatum. Fuit, fuit in Philippo Rege nostro, & adhuc est in Philippo ipsius successore, qui patrem suum, & re et nomine refert virtus; quæ semper in Regibus omnibus maioribus suis fuit, vt Religionis defensioni alia omnia post haberet, pro ea, quoties ita res ferret, non fortunas modo suas, verum etiam capita sua sine vlla cunctatione in quodlibet periculum offerrent. Nec vero eos ita animatos esse mirabitur quisquam, qui cognoverit, nusquam eos ipsa Regnum suorum insignia aspicere posse, quin recordentur antiquæ maiorum suorum virtutis, & laborum, quos illi pro Religione nostra catholica, maximos maximeq; memorabiles pertulerunt, nihil de illo maximo, & inclito Lusitanæ Rege primo Alfonso dicam, (vt ex innumerabilibus exemplis vnum aut alterum proponam) cuius primum virtus peperit Lufitanis imperium, cuius si spectes pietatem animi, supplicant pro victoria, Christus ipse Deus affixus Crucis visus est, si strenuitatem, atq; virtutem illo viso statim confirmatus, vno tempore manu perevergaua, tenuissimis opibus, dimicans, cum quinque, Regibus opulentissimis Religionis nostræ veræ & catholicæ acerrimis, & tetricimis hostibus vniuersas eorum copias vno fusas confectasq; prælio deleuit & extinxit. Non commemoro immortalem illam Ioannis primi gloriam, qui arcem illam, in dorso Abilæ montis constitutam, virute sua, & industria expugnauit, aditumq; illi Barbariæ ad vniuersam Hispaniam facilimum præclusit. Omitto illud belli fulmen Emanuelem Regem potentissimum, Philippi Regis nostri maternum auum; qui breui, cum Africam maximis ornatisimisq; classibus innumerisq; copijs obruisset. Multa opida opere, & natura munitissima, propulsatis hostibus, vi cepisset. Primusq; suis, quod maiores fuerant aggressi, aditum ad Indos vctis omnibus ipsius naturæ difficultatibus, superatis vastissimi oceanii fluctibus aperuit, & incredibili nauigatione penetrauit, cui omnes, propriedixerim, Lusitanorum opes, omnisq; vel nauigandi, vel bellandi gloria debetur, qui cum terrarum orbem nominis sui fama compleuisset, non solum armis fines Imperij apud barbaras nationes, sed etiam Catholicam Religionem in quamplurimas orbis partes dilatauit, & propagauit. Missam facio Sanctij Regis magnitudinem,

nem, & amplissimam potentiam, latissimas prouincias bello dominatas, eximiam pietatem, clementiam, sapientiam, iustitiam, cæteraque imperij ornamenta longe maxima. Qui collecto fortis magis quam numero exerceitu aduersus triginta barbaros Reges, qui vniuersæ Hispaniæ crudelissime imminebant, Duce atq; Imperatore Smaragdo; profectum esse. Cum prius pulcherimum, clarissimumq; iusiurandum iurasset; numquam se ex eo bello nisi parta victoria reuersurum. Barbari enim; cum alia multa excogitassent, ad prohibendas nostrorum incursions; aptissima, tum cathenas quasdam ferreas, quibus omnes vias ita occluserant, vt equitatui, quo nostri plurimum valebant, omnis penitus spes adempta in hostem faciendæ irruptionis videretur. Sed o fallaces hominum spes, o incerta vota, o lubricas humanæ vitæ cogitationes. Subdola enim & astuta consilia nihil virium habent aduersus Dei prudentiam, & potentiam, machinæ omnes desides sunt aduersus eius constantiam; qualis cumq; multitudo debilis, & inutilis est aduersus eius fortitudinem. Nam Deo duce perfractis, & perruptis cathenis, sibi, & suis per medios hostes viam ferro faciens Sanctius, non prius destitit quam Barbaros omnes castris exstutos, fusos, fugatosq; docuit victoriam non in munitionibus operibusq; bellicis; sed in solius Dei benignitate, atq; causæ bonitate collocatam esse, & qui pro Christi nomine, & fidei Catholicæ defensione dimicarent, eorum impetum a nullo posse sustineri: postquam ergo Sanctius iu suam potestatē hostes rededit, incredibilis omnium suorum ad illum concursus est factus. Alius eum amplexabatur; aliis ad genua decidebat, aliis fortissimam eius dextram victoriæ confectricem; Hispaniarum liberatricem, Barbarorum dominicem exosculabatur. Ergo ad conseruandam tam nobilis victoriæ memoriam simulq; ad incitandos suorum successorum animos ad suscipiendum semper magno animo Religionis nostræ Catholicæ defensionem: ipse postea cathenas pro insignibus gestauit, & instituit; vt iisdem insignibus cæteri post se Reges vterentur. Atq; quoniam in eo prælio præcipuum Barbarorum Imperatorem Smaragdum sua ipse manu obtruncauerat, eiusdem nominis gemmam medio illarum cathenarum complexu voluit contineri.

Itaq.

Itaq. Philippus Rex noster maiorum suorum similimus, dum purgare Regna sua illis pestibus, quæ in eis pullulabant, toto corde nititur, dum illius hydræ, & in suam & aliorum perniciem contumacis assidue renascentia capita amputare conatur, pro Catholicae fidei defensione totam vitam dimicando transegit, ita, ut nisi pñlcherimum illud catholici cognomen, a maioribus suis hæreditarium accepisset, id ipse sibi posterisq. suis sua virtute peperisset. Non patitur temporis difficultas vt plura de hoc dicam.

Quis est hodie in terris locus qui non audierit quibus haudita, pridem Germania inferior (quam Belgium alij vocant) procellis, atq. tempestatibus agitata sit? In his tantis malis, atq. difficultatibus Philippus Rex noster plura se, & difficiliora propugnanda Religionis causa, & fecisse, atq. præstítisse, quam quemquam alium ex omni memoria Principem, verè atq. merito gloriari potest. Omnes enim alij in externos bella gesserunt, hic bellum suis inferre coactus est; alij & a suis & ab alienis adiuuabantur; hunc & sui & alieni oppugnarunt; alijs, si vincerent, proposita erat præter gloriam potentiaz, atq. Imperij amplificatio; siue vincerentur; Imperium non penitus fortassis amittendum. Huic, si vinceret spectanda erat magna strages suorum; siue vinceretur, toto illo statu carendum fuit. Hæc autem omnia illum non deterruerunt, quominus vrbes suas obsideret, earum mænia tormentis bellicis quateret, agtos popularetur, obfessos commeatibus intercluderet; prælia, in quibus multi fortissimi Imperatores militesq. cederunt, committeret, omnia deniq. in solo suo faceret, quæ in hostili fieri solent. Necq. vt opinor, aliud bellum ætate nostra gestum est, in quo quidquid ex vtraq. parte periret, vni periret. Quamquam autem se messes suas, vt dicitur, vrere intelligebat, tamen quoniam integritas Religionis aliter conseruari non poterat, omnia sibi preferenda esse statuebat, & per quinquaginta annos, & vltra in eo bello tot aureorum millia, & millia exhausit, & Germaniam inferiorem ex atrocissima peste seruauit, & in eum, in quo nunc est statum, rededit. Quod si nondum omnia, quo vellemus, plane perducta sunt; cogitare debemus, bene agi cū his qui tam gravioriter ægrotarunt; cum etiam si nondum recuperarunt

pri-

pristinam firmitatem; salus tamen eorum fere in tutò est. Etiam prudentes medici solent ex male affectis corporibus vitiosos humores paulatim perducere; ne si semel vniuersos exhaustire voluerint, quos sanare conantur, occidant. Non est verendum, quin faciliora non perficiantur, cum iam difficiliora perfecta sint.

Bella autem in Gallia proxime gesta, quæ propter summam illius Regni nobilitatem toto orbe celebrantur; horret atq; refugit animus memorare, vt toti Galliæ ultimum, quod impiorum capitî sit; venisse exitium videretur. Videre erat in eadem domo filios à patribus, fratres à fratribus, viros ab vxoribus, propter hâc de Religione dissensionem capitali odio dissidentes, profanata, euersa, incensa templâ, aras facerdotum cæde maculatas, abstractas e sedibus suis Virgines Deo sacras, direptas vrbes; campos manantes sanguine, fluuiorum cursus humanis corporibus impeditos, Ludentem, excarnificantis hominibus, sauitiam; feritatem, ne conditis quidem mortuorum ossibus, atq; cineribus, abstinen-tem. Quis usque eo, Gallici aut potius Christiani nominis hostis est; qui illa sine Lachrymis aspicere potuisset. O Gallia, o Gallia, tot virorum fortium, tot egregiorum Principum, tot summorum Pontificum, qui tanta cum laude Ecclesiæ Dei præfuerunt, parens? Tu ne es illa, quæ suscepit à Christi, & Apostolorum discipulis fidem, nunquam postea deserueras? Quæ non a tuis tantum; Sed ab aliorum quoq; finibus hæreticos aliosq; hostes nominis Christiani tam sâpe depuleras? quæ, Europam, Africam, Asiam, gestis pro Christi fide bellis, nobilitaueras? Quæ violatam ab alijs Sedi Apostolicæ dignitatem tam sâpe restitueras? tam firmis præfidijs sepseras? tam multis ornamentiis affeceras? quæ urbem Romam ab imminenti direptionis, & excidij periculo tam sâpe liberaueras? Quid memoria repetam; illa Christianæ pietatis columna? Childebertos, Martellos, Pipinos, Carlomannos, aliosq; innumerabiles heroas, hæresum extintores, veræ fidei assertores, pontificiæ dignitatis vindices, atq; propugnatores. Vbi est Pipinus ille; ille inquam Pipinus, a quo est Pontificum maximorum auctoritas a contemptu vindicata, opes auctas, potentia stabilita, qui Stephanum secundum Pontificem

C maxi-

maximum in Galliā euntē honorificentissimē exceptit. Cum Pontifex Op. Max. auxilium sibi libentissime aduersus Aistulphum Longobardorum Regem laturū esse, & ijs virtutibus, vt posset, arbitraretur. Nec eū sua fruſtrata est opinio, nam Pipinus & illum exceptit ijs honoribūs; qui maximi poterant excogitari; vſq; eo; vt ei obuiam profectus, tria millia passuum, pedibus conſeſſit; & manu sua frænum equi, quo ille vehebat, tenens, ve- nit in Italiam transportato exercitu; cum Alpes incredibili cele- ritate ſuperaffet; & Pontifici præfecturam Rauennatium finibus longe maximis, vt pote, quibus & Flaminia & Aemilia conti- netur, cuntra ipsius Aistulphi Longobardorum Regis volunta- tem, (qui vniuersam Italianam ſub Imperium ſuum ſubiungere meditabatur) rededit & reſtituit. Nunc quoq; ſi de Caroli magni laudibus differere vellem, quantus ſe mihi campus aperiret. Di- cerem Italianam vincendo peragratam, dignitatē Adriani Ponti- ficiſ vindicatam. Desiderium Aistulphi ſuccesſorem; cum eadem, quæ ille; moliretur; oppreſſum. Additam ditioni Pontificiæ cor- ſicam, additos ducatus Spoletanum & Beneuenranum, additum quidquid Lucam & Parmam interiacet. Nec præterirem reditū in Italiam; & Leonem tertium Hadriani ſuccesſorem in ſedem ſuam reſtitutum, fractis & obrictis hostium Ecclesiæ viribus. Ex- stat adhuc tabula marmorea in ea turri, cui Borghia nomen eſt; in qua hæc omnia olim, honoris ergo inciſa, & perſcripta fuſſe conſtat. Vere enim & vere & ſine cuius quam iniuria Philippus Rex noster gloriari potheſt: quod Christianæ Religionis conſer- uandæ & propugnandæ cauſa tantum bellum ſuſcepit, & ſe & Re- gna ſua Indies magis atq; magis ære alieno propre infinito hac tantum de cauſa deuinciebat. Omnes enim illarum peſtium co- natus eo dirigeabantur, vt Galliæ Regnum a ſummorum Pontifi- cum cultu; & a Romanę atq; Catholicę Ecclesiæ communione diuellerent: hæc eis a principio mens, hoc conſilium atq; proponi- tum fuit; hoc precepiue imbiberaſt, hoc ſpectabant. Quid ego plura nunc prædicem? aut quid:res in omnē æuū, omnium ſcri- ptorum ingenia defatigaturas, exornare in hac mediocritate in- genij, & in hiſ temporis angustijs coner? Cui enim ignotum aut

cui

cui notius quam nobis omnibus, quos ille labores pertulerit, qui- bus difficultatibus conflictatus, quæ pericula ſubierit, quantum diligentiam adhibuerit, dum præſens ſtricto gladio, dum Hæretici puniebant, aderat. Quorum dementes motus, qui ferocissime in Hispania emergebant (omnibus curis ſuis eti grauiffimis hac vna ſolum de cauſa, poſthabitis) ita compressit; vt ſecundum Deū tanto principi acceptum ferendum ſit, ſummmum Religionis ſtudiū; quod hodie in Hispania viget. Cum quiduis ſatiuſ eſſe duxit; quam, vt quidquam de Christianæ Religionis integritye immi- nueretur. Valeant, valeant reliqua alia omnia; vbi Christianæ & Catholicæ Religionis defenſio agitur, indignus ſim maioribus meis, Si quidquam ei anteponendum putem. prætereo alia quæ prætereunda non eſſent; nam ſi de omnibus dicere pergam, tem- pus me potius quam oratio deficiet.

Quis eſt noſtrum, qui ignoret; quanta Philippus Rex noster fue- rit in Lufitanam nationem benigne faciendi voluntate propensus. Quantis muneribus augebat; quantis beneficijs ornabat; quantis honoribus benemeritos omnes cumulabat; quam incredibili amo- re Lufitanos omnes proſequebatur. Intelligebat ſe principe Lufita- na fuſſe progenitum; cui ſui Emanuelis Regis clarissimi, nomine gloriabatur. Nouerat, quo amore, quo studio, qua fide, qua pie- tate, homines Lufitani Reges ſuos proſecuti ſunt. Hanc egregiam virtutis Indolem amplificatam cupiebat. Itaque non tam viribus quam benignitate ſibi certādum existimabat; vt nos multo, quam eramus antea, liberiores atq; feliciores eſſemus. Quid nobis non detulit? liberas nobis omnes terras proposuit, aditus ad omnes vtilitates aperuit, & qui haec tenus angustijs eramus interclusi, & impediti; quominus poſſemus ex meritis ingentibus ingentia nobis præmia polliceri; nunc poſſumus ad ſummos honores libere, ſi virtutis noſtræ lumen eluxerit: aspirare; & eum ſe diffiſillimis, & turbulentis temporibus illis præſtitit; & conſilio atq; pruden- tia ſua communibus totius Lufitanij malis medicatus eſt. Vt non iam verius Lufitanæ verus & legitimus Rex, quam pater omnium Lufitanorum; & totius Lufitanæ, meritiſſimò poſſet appellari. Hic ego, ſi quod poetæ ſolent, idem nobis quoq; fieri liceret. Nesto-

C 2 reum

20
reum mihi aliquod, aut Vlixem eloquentiæ flumen optarem; vt quemadmodum vnà cum tanti Principis honoris amplificatione tanta amoris vis semper accreuit; ita mea quoq; in illius amplificatione, quasi per gradus attolleretur, & se ipsa grandior, & sublimior fieret oratio. Vix enim fas mihi videtur de raro inusitatoq; amore dicenti, visitato & quotidiano genere sermonis vti. Sed in hac conscientia tenuitatis meæ vna me cogitatio subleuat; quod apud eos me dicere intelligo, qui rerum à Philippo Rege nostro diuinitus gestarum, ob tantam amoris abundantiam; non testes modo atq; spectatores; sed etiam existimatores atq; exornatores fuerunt. In calamitatibus Lusitanicæ, quod studium, quæ sollicitudo, ipsi fuerit, omnibus liquet; quanta prudentia; quam nihil fecellit, quanta iustitia; quam nihil inflexit; quanta, fide & constantia in Lusitanos omnes, quam nulla temporum asperitas imminuere aut labefactare potuit, usus fuit. Quot suorum ad Regni gubernatores concursationes fuerunt? Quid prius non tentauit? Quid non molitus fuit? vt omnia quam minimo dâno componerentur, vt conseruaretur sibi dilectissima Lusitania intacta; quod semper ei præcipuum fuit, & nihil sanguinis funderetur. Atq; Regno; iure naturali, & civili debito sibi, omnium pace, & tranquillitate frueretur. Quæ duci Albano totius exercitus præfecto mandauerit, omnibus nota sunt. Eius enim præcipue, & aliorum Regni sui prœorum consilijs & sententia doctorum recte sentientium, & virtute fortissimorum Imperatorum atq; militem suorum, quorum alij occubuerunt, alij adhuc superstites sunt, ex illa impurorum hominum colluione vniuersam Lusitaniam liberauit. Tanti principis singulares virtutes Deus Op. Max. in Regno Lusitanicæ singulari felicitate cumulauit. Datis ei, de duplice genere hostium, duabus maximis pulcherrimisq; victorijs: altera terrestri de illis, qui in Lusitania à suo vero Rege defecerant, altera nauali, cuius adhuc recens memoria est, de Gallis ad insulam Sancti Michaelis; & alijs, quas breuitati studens, prætereo. O Philippe Rex inuictissime addatur hoc decus annalibus vitæ tuæ, vt in eis olim legatur, profligatissimos & seditiosos homines, qui quasi contagione quadam paulatim serpentes per omnia proprium

modum Lusitanicæ Regna peruarserant, auctoritate tua disiectos, dissipatos, extinctos, & exterminatos fuisse. Illud vero quam pleniore ore laudarem, sentio enim tantam rem multo breuius multoq; exsiliūs a me tractari, quam dignitati atq; amplitudini ipsius conueniret. Cum Philippus Rex noster in Sebastiani demortui locum: secundum multorum doctissimorum, & sapientissimorum iuris peritorum sententiam; cum illi proximior esset agnatus, quam Henricus, sufficiendus erat. Viuente tamen auunculo, a se tale ius abduxit & auocavit; & potius tam magnam hæreditatem ad se, hæreditario iure peruenientem, periclitari voluit, quam vt populus Lusitanicæ sibi charissimus angore conflictaretur, aut auunculus mærore contabesceret. O Rem magnam & incredibilem, & omnium gentium litteris atq; linguis prædicandam. O factum egregium, & post hominum memoriam proprie inauditum. Vicas superioribus rebus tuis, Inuictissime Rex, omnium hominum laudes, atq. gloriam; nunc quodammodo te ipso maior effectus es, nec summis contentus rebus, gloriam tuam, quæ augeri nullo modo posse videbatur; hoc insolito, & nouo genere laudis cumulasti. Multa memini, multa legi, multa audiui, nihil ex omni sæculorum memoria tale cognoui. Nec enim credibile est posse aut me aut quemquam, de tanto amore, tam erga Regnum Lusitanicæ, quam omnes lusitanos, vobiscum melius quam vnum quemq; vestrū secum loqui, & mihi non tam orationis conquirenda copia est, quam vestra satietas refugienda, et si omnia minutatim persequi vellim, non dies modo me, sed vox ipsa viresq; deficient.

Illud vero immortale & omnium gentium omniumq; sæculorum prædicatione celebrandum beneficium, quo vniuersam Rem publicam Christianam affecit; inita, & constituta, cum Pio quinto pont. op. Max. & cum Venetis belli aduersus Turcas gerend societate; quis vñquam satis pro dignitate laudauerit? Etenim in eo bello sine magna nostrorum clade amplius quadraginta hostium millia cæsa sunt, decem, & eo amplius millia capta, centum quinquaginta illorum triremes, aliaq; complura nauigiorum genera in nostrorum potestatem redacta, & plus quindecim captiuo-

rum nostrorum millia liberata , vt ex tanta illorum barbarorum multitudine vi x vnus perfidus pirata, & vnus item saeuissimi prædonis Ariadeni filius , fuga elaberetur , qui ad superbissimas illius immanis Tiranni aures acerbissimum minimeq; ab ipso, expectatum tantæ cladis nuntium afferret . Quis vnquam nostrum , non dico sperare , sed propemodum optare ausus est ? præcucurrit fortitudo tuorum militum , Rex inuictissime , spes nostras, quæq; nos ne frustra optaremus , verebamur , vt ea frustra hostis optaret , & admirabili Dei beneficio , & singulari eorum fortitudine effectū est , o Nonæ Octobris, quam faustam atq; felicem nobis posterisq; nostris vestri memoriam reliquistis . o felicem victoriam, quæ , & victoribus immortalem gloriam, & victis eternam salutem attulit . Quænam igitur statuæ ? quæ columnæ ? qui arcus ? quæ trophææ tibi Rex inuictissime poterunt excitari ? quæ non dico paria esse meritis , sed illorum partem aliquam adumbrare possint ? Qui futuri sunt vsq; adeo differti & copiosi historiarum scriptores ; qui cum ad tuas laudes ventum erit, non potius metuant , ne aliquid de illarum magnitudine deterant , quam eas se verbis exæquare posse confidant . Semper enim iustum minuendi metum faciunt ea, quæ amplificandi spem sua magnitudine sustulerunt . Tanti enim Principis virtus barbarorum audaciam compressit, maria illis clausit , nobis aperuit, hæc flammam , ferrum , cædem , incendia , rapinas , libidines, a Christianorum vita, tectis, corporibus , fortunis , arcuit . Hæc a templis sacrilegia , ab oppidis dierceptionem , ab agris vastitatem , depulit , per te , Rex potentissime , vicina littora illorum , aut sauciorum , aut morientium inconditis vultibus personarunt ; per te cruentata atq; tepefacta maria hostium sanguine redundarunt . Te magistro, didicit noster miles vincere , barbarus vinci . Tibi Christianorum alij vitam debent , alij libertatem , omnes securitatem . Durum , fateor , fuerat audire , tam multa oppida a nefarijs latronibus capta ; tam multa eversa & incensa ; tam multas Regiones vastatas, abducta in seruitutem tā multa hominum millia . Sed si Christi potentia, si Philippi Regis nostri virtus, aliter apud barbaras nationes illustrari nō poterat; quā post tot acceptas calamitates, propre est, vt exclamē . Tati fuisse .

Sed

Sed hæc & alia plurima, quæ sciens prudensq;, ne longior sim prætereo, historiarum scriptores monumentis suis commendabunt æternitati . Mihi autem de tanti principis exitu atq; migratione ex hac vita dicendū est ; vt intelligat omnes vitā tā laudabiliter actam nonnisi laudabili fine esse conclusam . Duo sunt, quæ cum ad extremum vitæ ventum est, etiam spes atq; virtutis viros de gradu deiçere interdum solent, doloris acerbitas , & mortis metus . Et sunt ramen , qui quandiu a se mortis periculum abesse confidunt, dolorem satis æquo animo ferunt . Sunt etiam, qui dum ne graui aut diuturno dolore crucientur, imminentem mortis necessitatem satis æquo animo exspectant , qui autem utrumq; praefliterit : vt nec doloris acerbitate, aut diuturnitate frangatur, nec aduentatis atq; imminentis mortis metu terreatur ; ei pectus incredibili quadam pietate atq; fortitudine armatum, atq; munitum esse necesse est , quæ laus, si vlli vnquam tributa est , Philippo Regi nostro omnium confessione tribuenda est : qui cum centum , & eo amplius dies incredibiles dolores , podagra , febris , tumoris in genu nati inaudito cum ipsius dolore, a medicis resciſſi perpetuis sit . Tanta enim dolorum vis fuit, quanta maxima tādere in hominem potest . nunquam tamen vllam vocem parum se dignam emisit . Sed illud Apostoli in ore semper habebat, cupio dissolui , & esse cum Christo . Mortem autem sibi ab ipso morbi principio certam ; & exploratam ita non exhorruit, vt de ea sine vila prorsus aut vultus aut animi perturbatione loqueretur . Adeo, vt omnes, qui aderant vehementer admirarentur , & plane ostenderet eam a se vt Sanctus Apostolus ait in lucro ponit . Atq; ne cuiquam dubium sit Philippum Regem nostrum præsciuisse sibi ex illo morbo moriendum fore; duas apertas atq; illiustreius rei significationes dedit . Vnam quod Patriarcham Alexandrinum Apostolicum nuntium ad se , cum in lecto morti proximus decumberet, vocari iussit . vt sibi Sacro Sanctam Eucharistiam porrigeret, & Vice Sanctissimi D. N. Clementis viij. re & nomine Pont. op. Max. Eum benedicere : hactamen conditione, vt Pontifex statim fieret certior ; quod absque vlla mora executioni demandatum fuit . Alteram quod loculum plumbeum, in quo eins corpus deponeret

dum

dum erat , intra cubiculum, in quo in lecto iacebat deferri iussit, & in eo mente atq; cogitatione defixus, quam inania, fallacia, leuia, fluxa, caduca, cæca, incerta, lubrica, & commutabilia essent omnia quæ versantur in vita, contemplabatur, & alias sanctissimi & Catholicæ Principis tacitas animi cogitationes atq; facta breuitati studens prætereo. loculus autē plûbeus semper in cubiculo, quo in lectodecumbebat, mansit, vsq; dū ipse ab hoc ergastulo ad superos euolauit, & paulo post principem filium sibi charissimū atq; suum in Regno successorem coram Archiepiscopo Toletano & alijs Hispaniæ proceribus ad se vocatum sic fere Philippus Rex noster allocutus est,

Excelsæ mentis est huius exiguæ vitæ commoda fluxa contemnere, & studio immortalitatis ; & cælestis vitæ inflammari . Quid est in hac vita boni ? quid periculis vacuum ? quid non ærumnis vndiq; circu septum ? nihil in rebus humanis stabile, nihil firmum, nihil diuturnū reperiri potest. Quod codocefacere nos vult Deus; dum terram nobis non pro domicilio, sed pro diuersorio datam esse docet, hanc, quæ vita dicitur, non tam esse vitam quam iter ad vitam, in Cælo non in terra spem nostram defigendam, & collocandam esse . Agitat omnis arbitratu suo, & quæ solidis, atq; firmis nixa radicibus putantur, ea momento temporis vertit . In hoc extremo vitæ meæ fine quattuor tibi, quæ dum vixeris in corde tuo insita, & innata habeas, in eoq; perpetuo hæreant, commendanda duxi . In uiolatam, & perpetuam obedientiam Romanæ, atq; Catholicæ Ecclesiæ, & summorum Pontificum conserua . Nec quidquam vnquam aut prius, aut antiquius conservatione Catholicæ Religionis habeas . Ex ea bona omnia fluere, ea neglecta collabi atq; concidere omnia . o Religio Sanctissima, quid non efficis, vbi semel Catholica pectora occupasti . Tenebatur Rex sapientissimus grauissima vi morbi defixus in Lectovicinitate iam mortis ab omnibus pâne corporis partibus sensus abcesserat . Egregius ille animus mox liber atque solutus futurus e corporeis vinculis in æternam beatitudinem exilire cupiebat, cum quidquid supererat virium, eo contulit, vt suum flagrantissimum desiderium atque incredibilem obedientiam, & amorem

Romanæ

Romanæ , & Catholicæ Ecclesiæ summorumq; Pontificum indicaret . Quid verisimile est hunc firmum, atq; valentem fecisse qui ne mori quidem, nisi tantam obedientiam ostendendo, & ipsius amorem filio sibi in Regno successori commendando, & indicando voluerit ? Secundo Hæreticum, aut quemuis alium infidelem in regnis tuis domicilium habere minime permittas, & meos labores, curas, & cogitationes, vigilias, pericula toto ex corde intuere . Tertio iustitiam omnibus rectam, & æquam fieri impera, & iustos magistratus per vniuersa tui Regna conquires . postremo Episcopi, nisi qui curam, custodiam, patrocinium gregum suorum suscipiant, ne creentur ; & ardentissimo charitatis amore flagrent atq; pauperum inopiam suis opibus subleuent .

Deniq; Sacrofæcto Extremæ vñctionis Sacramento inungi, & corroborari voluit, & pridé antequâ vitæ cursum impleret, Principe, & Isabellâ filios sibi charissimos ad se vocatos paterna benedictione tandem benedixit . Dicens omnes coronas, omnia Regna, omnia imperia, sibi sordere præ illa immortalitatis corona, quam sibi in cælo depositam esse consideret; ipse interitus, & æquissimo animo exitu diuinæ voluntatis exspectans, iā valete inquit, & mei me mores este, ego enim ad Deū vocor, quē, vt æquiorem atq; placabiliorē peccatis meis iudicē experiar, vestris me adiuuari precibus postulo . Hæc effatus deficiente iā, & moribuda voce, tuū Iesus nomen inuocans, dicens tu solus sanctus, tu solus dominus, tu solus altissimus Iesu Christe, Tuam sanctissima virgo apud Filium opem implorans ; in Deum tantum intuens, & in eo mente atq; cogitatione defixus eodem illo temporis puncto Angelorum legionibus stipatus die tertia decima mensis Septemb. anni 1598. ex ante lucano tempore triumphans ad vos vt confidimus, in cælum euolauit.

O beata vita, quæ tali morte conclusa est . O beata mors, quæ tali vitæ principium dedit . O te felicissimum Philippe, qui sanguinem tuum pro eo fundere cupiebas qui prior ipse pro te suum sanguinem fuderat . O te beatissimum, qui mortem naturæ debitam pro vitæ auctore potissimum reddere non dubitasti . O te iterum beatissimum, qui extreum spiritum cum gloria effusisti, & mortalì conditione vitæ in immortalitatem commutata, piorum æternam

nam sedem, & locum es consecutus . Mortem autem ipsius Secutā est tanta omnium etatum, atq; ordinum cousternatio, vt eius desiderium vix longo tempore mitigari posse videatur, qui tum plangor omnium? quæ complorationes? quæ lamentationes fuerunt? ipse Sanctissimus Clemens viij. Pontifex op. Max. cuius & in prosperis rebus spectata moderatio est, & in aduersis animi magnitudo, in tanto casu dolorem cohibere non potuit; quoq; dolores grauitas, & constantia retinere, atq; frænare consueuerat, eos tantu principis mors, & paterna charitas elicit . Plane alijs in rebus querenda est fortitudinis, atq; constantiae laus, in tam graui vulnere, & hoc tempore accepto, immanis quedam duritia esset, non flere, non ingemiscere, non commoueri . Qualem enim quantumq; Regem amisimus, quantis non dicam naturæ dotibus, sed qnanta omnium Regiarum virtutum copia præditum, & exultum . Tantus enim ad Philippum Regem nostrum vita functum omnium etatum atq; ordinum concursus, est factus, tanta effusa omnis generis multitudo mæstissima, vt ipsi vniuersæ Hispaniæ coles, ipsa oppidorum, & ciuitatum mænia, si natura pateretur, sedibus suis relictis ad flendum, & ingemiscendum prodire cupere viderentur, quacumque incesseras luctuosis vocibus omnia personabant, oculi omnium lachrimis madebant, omnia plantibus gemitibus & vlvulatibus infremebant . Vociferationes, & lamentationes vndiq; exaudiebantur; viduae, pupilli, inopes, impotentes incredibiles lachrimarum riuos profundebant . Omnes redundantem, & foras erumpentem maestriam, ore, oculis, manibus, indicabant; omnium in eo uno luctuosus figebatur obtutus, omnes eum non solum vt Regem charissimum, sed etiam, vt patrem amantisimum deplorabant . Alius scindebat capillos, alias lacerabat genas, alias pectus, & humeros crebris ictibus verberabat, alijs interire amores, atq; delitias Hispaniae . Alijs alia, quae diuersis diuersa, non diuersus suggerebat dolor, miserabiliter querebantur . Hic iste tumulus tanti principis memoriae Mausolei; instar excitus; per se elinguis & mutus nonne flere, & lamentari videtur? sed nos optimo & praestatissimo principe orbati sumus, ille, vt confidimus, e, tenebris atq; vinculis corporis in lucem libertatemq; pro-

du-

ductus promissam pijs omnibus possidet haereditatem. ita vt mors ipsius, si sortem nostram respicimus, luctu, & lamentationibus, fin ipsum, laetitia, & gratulatione persequenda sit . Regnū enim terrestre caelesti; labore quiete, mortalitatem immortalitate commutauit . Quod mortuus est, humanae fragilitatis est, quod ita mortuus, diuinæ cuiusdam felicitatis . Bonum certamen certauit, cursum consumauit, fidem seruauit . iam coronauit eum Deus, aut breui Sæctiss. D.N. Clemētis viij. & totius Eccle. suae precibus adductus coronabit eū corona iustitiae quā repromisit diligētibusse.

Sed vt ad te Philippe Rex potentissime tanti Regis successor qui patrem suum & re, & nomine refers mea reuertatur oratio . Nec Hispaniae populus, nec Christiana Respublica ignorat, nec vlla ignoratura est, aut gens aut aetas, te immortalem gloriam spectare, peruenit, & perfertur ad nos vsq; tuarum immortalitate dignarum vocū sonus, & tua heroica, & admirabilia facta ex multis fide dignis accipimus . omnes enim tuam in deliberando prudenter, & altitudinem animi, in re gerenda fortitudinem, & alacritatem admirantur . Incredibile dictu est; quam sæpe in delibera-tionibus publicis sapientissimorum senum sententiae anteuerteris, & quae illi dicere in animo habebant, ea prior ipse protuleris . Nemo vt sit, cui nō in ista tu aetate tanta mētis, & cōsilij maturitas, diuinum potius quoddam quam humanū videatur . est certe, est aliqua vis originis, atq; sanguinis, quoq; maximis, & amplissimis Regnis Rectores destinauit praepotens ille rerum omnium conditor, & moderator Deus, in eis plerumq; virtus non expectat annos, sapientiae eq; semina in eorum animis facilius comprehendat, & tempestiuus adolescunt; vt in te vniuersus orbis & videt & experitur . Quae omnia, cum magna atq; præclara sint, multo tamen a te, & maiora, & præclariora vniuersa Respublica Christiana exspectat: properant nostra omnium vota, quiq; animis praesentis gaudij magnitudinē capere vix possumus . Rerum gestarū præstantia, quasi quibusdam alis sublati, cogitatione, & spe multo iam vltierius prouolamus . Tendit tibi, Rex inuictissime, terra illa ex qua salus nostra prodijt supplices manus, & palmas, quarū feracissima est, tuis victorijs, triumphisq; despondet, obtestaturq; te per eum, quem

quem ex purissimæ matris vtero mirabiliter exeunte except, cuius
vestigijs impressa, cuius admiradis operibus nobilitata, cuius spar-
so pro nobis omnibus sanguine irrigata est, ne se diutius indigna-
hostium seruitute oppreslam teneri patiare, vtinam nostris tempo-
ribus, duce Rege nostro Philippo, terra illa sancta, quæ vagitus Iesu
Christi Redemptoris nostri nascentis exceptit, quæ cum concionan-
tem audiuit, admirandis operibus certissima diuinitatis suae signa
dantem, obstupuit, spectauit sublatum in cruceim, & suo sanguine
peccata nostra expiantem; ex tam dura, & tam diurna seruitute
exrahatur. An vero g̃etes quaedam antiquis temporibus propter
violata maiorum suorum sepulchra grauissima bella suscepserunt.
Nos Iesu Christi Domini Nostri, & Redemptoris sepulchrum mo-
numentum salutis nostraræ, pignus Resurrectionis nostraræ, ab immū-
dis canibus teneri tamdiu, eisq; ludibrio esse patiemur? I po-
tius optimis hominibus, generose, fortissime, & inuictissime Rex.
continua victorias, connecte triumphos, inuide posteris tuis gloriā
eius terrae, ex qua salus nostra prodijt, ab immanibus belluis rece-
ptae atq; recuperatae. Vbi melius sanguis spargi potest? vbi melius
vita deponi? vbi verior, & solidior gloria comparari? O Christe te
appello, in tua manu bellum, & pax; in tua manu victoriae, in tua
manu Regum, & populorum corda sunt. Inspira Philippo Regi no-
stro inuictissimo ardorem pugnandi, da eidem vim facultatemque
vincendi, immite eādem mentem principibus atq; populis Chri-
stianis, vt id primo quoq; tempore facere maturent. Non quod tu
qui omnia potes, aut eorum opera, aut nostra, ad hostes tuos obte-
rendos egeas. Sed vt omnes, qui tuo nomine gloriantur in partem
aliquam veniant eius gloriae, quae ex nominis atq; cultus tui pro-
pagatione capietur, & quādo urbem Romam imperij sedem, & do-
micum & Ecclesiam Romanam Religionis firmamentum esse vo-
luisti. Da Clementi VIII. Pont. Op. Max. da Philippo III. Regi no-
stro inuictissimo, hoc munus, vt ad hanc potissimum urbem, & ad
hunc potissimum Pontificem, & ad hunc potissimum Philippum
III. Regem nostrum potentissimū, partae tam nobilis victoriae ali-
quando nuntius afferatur. ita euenniat, ita euenniat Domine Deus,
cui laus omnis, & gloria debetur in omnem aeternitatem Duxi.

F I N I S.